



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Formularium Episcopale**

**Barbosa, Agostinho**

**Coloniae Agrippinae, 1680**

Formula XLIII. Facultatis recipiendae profess. Monialium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10456**

alla, quæ in hoc genere decreta sunt, observentur. Datum, &c.

Habita supradicta Vicarij licentia puella ad Monasterium ducetur, paucis tamen comitata affinibus, & sine ulla pompa, & statuto die inter missarum solemniam, ut moris est, ab ipso Vicario, seu deputato ab eo, sacris adhibitis benedictionibus, postquam illa cœlesti cibo refecta fuerit, veteri homine cum actibus suis sese spoliando ad Communionis fenestellam humiliter, & devotè recipiet. Regularem habitum sibi à Vicario, vel ab eo, quem ille deputaverit, foris manente oblatum.

Probationis anno currente, ante mensem quàm novitia profiteatur, ex Concil. Trident. sess. 25. de Regular. c. 17. in fine. Præfecta Monialium superiorem sub pena suspensionis ab officio ad arbitrium Episcopi, admonere debet, ut iterum de voluntate novitiæ à Vicario examen fiat, aut ab alio, ut supra, sacerdote, & cum Episcopus pro facultate sibi decreto Concilij Trid. data voluntatem novitiæ explorare voluerit, hoc agere ei licet loco, ubi crates Monasterij sunt, nec propterea à septis illa egrediatur, nisi causa sit, probabilisve ejusdem Episcopi judicio suspicio, quamobrem potius esse censuerit, ut alio loco ejus voluntas perquiratur, tunc vel in Ecclesiam Monasterij exteriorem, vel in aliam proximam, prout commodius, decentiusque posse fieri viderit, illam perducere jubeat. Quæ in Ecclesia presentibus matronis duabus, ætate gravibus, honestis, & Novitiæ gradu cognationis quantum potest propinquo-

ribus, quas ipsa, aut Moniales delegerint, ejus animum voluntatemq, Episc. recte indaget loco paulo remotiori, ita ut quæ adsunt Matrone, videre, non tamen auribus percipere indignationem interrogationem responsionemve. Quod autem à puella parentibus alimentorum, seu educationis nomine, aut pro aliis rebus ad ejusdem puella, vel monasterij usum pertinentibus etiam ex consuetudine persolvitur, de eo satisfactum fuisse monasterio Præfecta Monialium vicario in scriptis testatum faciet, ut de novitiæ ad Professionem recipiendam Capituli cogendi facultas detur, si ordinario subjectum sit monasterium, aut examinis testimonium, si Regularium cura subiaceat. Denique Capitulo habito, si nihil obstare deprehendatur, & novitiæ decimum sextum suæ ætatis annum expleverit, professionis emittendæ facultatem concedet Vicarius, ut infra.

## FORMULA XLIII.

Facultatis recipiendæ profess. Monialium.

Concedimus licentiam Reverendæ Matri N. Abbatisse monasterii S. N. ut stante superiore in Ecclesia exteriore ad fenestellam sanctissimæ Communionis, & servatis aliis ordinibus præscriptis possit recipere expressam, & solemnem professionem N. jam approbatæ, & faciet nos certiores in scriptis fidem gerentibus de die, & coram quo dicta N. emisit professionem. In quorum fidem &c. Datum Bracharæ Augustæ &c.

CIR-